NONNULLA DE PSORIASI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
DIE XIV. M. NOVBR. A. MDCCCLXI.
HORA XII.

AUCTOR
RUDOLPHUS RADDATZ
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
F. KRAUSE, DR. MED.
W. BERGER, CAND. MED.

HALIS SAXONUM.
FORMIS PLOETZIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO HUMANISSIMO DILECTISSIMO

L. MIESKE

VIRO CONSULARI ET PRAEDII DOMINO

AD DIEM NATALEM

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Psoriasis, Psora (syn. Psora leprosa, Herpes squamosus, Dry Scall, Dartre squameuse, Impetigo [Sennert, Plenck], Scabies sicca [Ettmueller, Hoffmann], Lepidosis Psoriasis [Good, Young], Räude, Schuppenflechte, Schuppengrind, Flechte) in iis numeratur squamosis chronicis exanthematibus, quae plerumque eam habere solent notam ac proprietatem, ut squamae sive corneae epidermidis cellulae in inflammatis epidermidis locis modo tenues modo crassas forment straturas, quae, quamvis possint desquamari, semper tamen iterum iterumque regenerantur.

Veteres medici nomine Ψῶρα duas designare solebant morborum formas, quarum altera, quae pustulis progeneratis ulcera superficialia relinquens singulari quodam contagio propagatur: Ψῶρα ἑλκώδες (Galen. Aristoteles. Aetius. Paulus ab Aegina), altera simpliciter Ψῶρα vel Ψῶρα τραχυτέρας, λεπρώδες nominabatur. Atque haec quidem, quum non sit contagiosa, eam habet notam, ut epidermis simpliciter squamis sit obducta.

Hippocrates (de visu lib.) et Galenus (de oculo, cap. VII.) sub nomine Ψωρίασις omne intelligunt squamosum exanthema, quod quum in palpebris solum et scroto inveniatur et Herpes et Prurigo et ipsa Psoriasis esse potest.

Celsus, qui Psoriasin sub nomine Impetiginis describit, libri quarti capite vigesimo octavo, quo in loco secundam Impetiginis formam comparat cum Lichene, „alterum, inquit, genus est pejus et simile papulae fere, sed asperius rubicundiusque, figuras varias habens: squamulae ex cute decidunt, rosio major est, celerius ac latius procedit, certioribusque quam prior, temporibus et fit et desinit: rubra cognominatur.“

Sequentibus saeculis, quibus Lepra praecipue omnium medicorum in se convertit animos ac studia, saepius Psoriasis formas inter Lepram numeratas esse invenimus; quin etiam nonnullae Psoriasis formae in singularibus generibus numeratae et descriptae sunt, ut Psoriasis palmaris a Foresto. Sic etiam a posterioris temporis scriptoribus Psoriasin Herpete et aliis chronicis exanthematibus confusam esse invenimus.

Willan et discipulo ejus Bateman laudi est, ut cutis morbis ad certum systema ac ordinem revocatis Psoriasin ab aliis exanthematibus sejunctam descripserint. Sed quum illi, quos Willan et Bateman scripserunt libri, a multis et praecipue ab ill. Blasius in nostrum sermonem translati sint et tractati, illud etiam, quod Willan et Bateman composuerunt systema morborum cutis usque ad nostrum tempus summam sibi paravit auctoritatem, ita ut ii, qui posteriore tempore cutis morbos ad certum revocabant systema, omnes fere illud, quod Willan proposuit systema secuti sint.

Quum nuper praesertim G. Simon, Hebra et Veiel accuratis quaestionibus microscopicis institutis, non so-

lum ignorantiae, quibus genesis quum exanthematum tum Psoriasis obvoluta erat, tenebras discusserint ac dissipaverint, sed etiam in curandis exanthematibus permultum valuerint ac praestiterint, equidem in dissertatione mea de Psoriasi prorsus illorum sequar sententiam.

Psoriasis est chronica exsudativa nec contagiosa inflammatio cutis, quae ita oritur, ut rubrae et supra cutem eminentes maculae modo candidas modo albicantes epidermidis cellularum forment squamas. Paulo post squamarum ortum sub squamis rubidum tumescentemque reperiemus cutis locum, qui tenuissima est obductus epidermide, quam si abraserimus hic locus in tota superficie facillime sanguinem fundit. At si squamae diutius exstiterunt et latius se per corpus diffunduntur, cutis densata altas agit rimas, ita ut rimae sanguine fuso facillime doleant atque eo, quod squamae sanguine fuso oblinuntur, crustis obducantur. Accipimus ita verissimam dermatitidis formam aut celeriore epidermidis formatione aut citiore ejus interitu effectam.

Singulae Psoriasis formae, quae tamen eodem tempore in eodem homine exsistere possint, hocce modo discernuntur:

1. Psoriasis punctata sive guttata: sunt enim rotundi et punctati squamarum cumuli, qui super totum corpus diffusi ad peripheriam crescunt et guttarum accipiunt formam. Quibus latius diffundentibus nec non crescentibus efficitur.

2. Psoriasis nummularis: sunt maculae, quae grossi circa habent magnitudinem.

3. Psoriasis discoidea: sunt maculae magnitudine thaleri.

4. Psoriasis scutellata: cognosci potest e squamis rotundis et inter se diremtis, quae in margine sunt crassae, ita ut quasi scutellae formam praebeant.

5. Psoriasis diffusa: super majores corporis partes extenditur et compluribus maculis confluentibus oritur.

6. Psoriasis orbicularis sive annulata eam habet notam: in centro maculae evanescunt squamae et rosio, ita ut conspici possit epidermis justa et sana, quae ab omnibus partibus cincta est squamis. Quod si celerius efficitur cognoscere possumus

7. Psoriasin centrifugam.

Psoriasis orbicularis est in systema Willani Lepra, quam sub nomine Leprae vulgaris, alphoidis et nigricantis describit.

8. Psoriasis gyrata efficit figuras, quae gyri habent formam.

9. Psoriasis figurata: singulae maculae inter sese collidunt et confluunt in figuras majores attamen a curvaturis inclusas.

10. Psoriasis inveterata; quam optime describit Willan.*) „Diese Art, inquit, ist die übelste Modifica-

*) Practische Darstellung der Hautkrankheiten nach dem Systeme des Dr. Willan etc. herausgegeben von Blasius. Leipzig 1835.

tion der Krankheit, welche mit getrennt stehenden, unregelmässigen Flecken beginnt, die sich ausdehnen und in einander fliessen, bis sie endlich mit Ausnahme eines Theils des Gesichtes und zuweilen auch der Handteller und Fusssohlen, die ganze Oberfläche des Körpers bedecken, wobei die Haut überall schuppig, hier und da von tiefen Furchen durchzogen und rauh, steif und verdickt ist. Die Bildung der Schuppen geht rasch vor sich." In commotionibus, praesertim quum Psoriasis in partibus extensoriis artuum est locata, rimae oriuntur, quae cutem penetrantes facile sanguinem fundunt et serosum crustas efficientem liquorem secernunt.

Hebra omnes has formas ad unam revocat et Psoriasin punctatam primariam esse intelligit, ita ut Psoriasi punctata latius diffusa omnes, quas supra commemoravimus, formae oriantur. Attamen G. Simon se Psoriasin orbicularem sua sponte ortam observasse contendit.

Praeterea Psoriasis alio modo ita dividitur, ut ex corporis partibus, in quibus locata est, appelletur:

1. Psoriasis palpebrarum
2. Ps. labiorum
3. Ps. scroti
4. Ps. praeputii
5. Ps. pudendorum
6. Ps. palmaris et alia.

At quum Psoriasis etiam in his locis eas tantum, quas supra commemoravimus, formas efficiat et nihil aliam singularem habeat notam ac proprietatem, nisi

quod fortuito in his corporis partibus inveniatur, haec dispertiendi ratio prorsus mihi videtur esse supervacanea et inutilis, quoniam ex illa, quum nimiam augeat denominationum frequentiam, misceri tantum et turbari possit omnia.

Sed quod pertinet ad valetudinem, illa, exoriente Psoriasi, vix est turbata, nisi quod ineunte eruptione macularum molestus advenit pruritus, qui tamen paulo post evanescit. Sed si vehementer affectio erumpit saepe observare possumus affectiones quodammodo rheumaticas, febrim quandam ac lassitudinem et alia; quae symptomata plerumque simul cum eruptione macularum minuuntur atque remittuntur, sed si denuo eruptio fit, iterantur.

Plerumque Psoriasis usque ad summam aetatem sine incommodo toleratur. At si latissime se extendit super corpus, ejus nutritum perturbare nec non idem affligare et profligare potest.

Singularis Psoriasis forma commemoranda est Psoriasis syphilitica. Praeter anamnesin et primariae syphilidis argumentationem ac demonstrationem, haecce, Psoriasin vulgarem sive simplicem accurate ab illa discernere possimus, sunt observanda:

1. Psoriasis vulgaris solet esse locata in extensoria extremitatum superficie, praecipue in genu, in cubitu, dum Psoriasis syphilitica haec loca fugiens praesertim in capite, fronte, naribus, in dimidio narium et labiorum, in palma manus et in planta pedis, et si la-

tuis se extendit, in flexoria extremitatum superficie invenitur.

2. Psoriasis vulgaris occupat plerumque majores corporis partes, at Psoriasis syphilitica singulis se continet maculis, quae nunquam magnitudinem Psoriasis vulgaris adaequant.

3. Saepenumero Psoriasis syphilitica apparet Psoriasis orbicularis nec non gyrata, quae formae in Psoriasi vulgari rarius reperiuntur.

4. Psoriasis syphilitica est rubida, symptoma haud certum.

5. Psoriasis syphilitica exulcerationes efficere solet, quae gyri formam petunt et post sanationem cicatricem relinquunt deformem, quae quidem Psoriasis vulgaris nunquam creat.

Quum ita eas Psoriasis formas, quas nobis plerumque praebere solet, accuratius explicare conati simus, hic quattuor singulares formae commemorandae esse mihi videntur, quae a Veiel observatae sunt et quarum descriptionem ex relatione de nosocomio cutis morborum Cannstattiensi facta repetimus. Quas formas Veiel Psoriasin palmarem claviformem appellat: „Bei vier Männern von 34—49 Jahren bildeten sich an verschiedenen Stellen der Hand- resp. Fussfläche kleine Verhärtungen, ähnlich den Hühneraugen; öffnete man sie zeitig, so trat aus ziemlicher Tiefe ein Tröpfchen Serum heraus, überliess man sie aber sich selbst, so schuppten sie sich auf der Oberfläche ab und gaben bei Druck ein stechendes Gefühl. Durch Exstirpiren konnte man

einen ganzen Keil verhärteter, horniger Masse ausheben, worauf sie schnell heilten. Sich selbst überlassen bildeten sie in weitem Umfange Schuppen, zuletzt Risse und tiefe Schrunden. Es half Nichts dagegen als Aetzung mittelst Chlorzink nach bloss gelegter Lederhaut, worauf sich die Kegel mit Hinterlassung einer tiefen Grube ausschälten." *)

Aetiologia.

De origine et causis Psoriasis nihil certi constat. Affectio in utroque genere, praecipue in robustis et bene nutritis hominibus et sub quaque vitae conditione exsistere potest. Singularis quae in infantia exsistit forma, Psoriasis infantilis designatur, qua secundum Willan infantes plerumque a secundo natus mense usque ad secundum natus annum afficiuntur et quam contagiosam esse contendit Dr. Underwood. Facilius exanthemate corripitur cutis aspera, fragilis, sicca.

Hebra, Veiel, alii Psoriasin hereditariam esse contendunt. At equidem in viginti hominibus, qui Psoriasi laborabant, et quos per duos annos in policlinico Halensi observavi atque curavi, semper demonstrare poteram, aegrotorum aut patrem aut matrem, rarius utrosque, Psoriasi fuisse affectos. Atque hoc loco silentio praetermittere non possum miram quandam ac singularem, quam ego institui observationem: mulier quaedam

---

*) Schmidt's Jahrbücher der in- und ausländischen gesammten Medicin. Band 7. Jahrgang 1855. — Nr. 9. Seite 310.

decimo octavo aetatis anno affecta Psoriasi, paulo post morbo prorsus sanata et liberata erat; earum autem, quos peperat, liberorum duo iterum eodem decimo octavo aetatis anno sunt affecti Psoriasi, dum in ceteris non apparuit.

Coelum nihil ad progenerandam Psoriasin valere potest, quod et in temperata regione et in calido aëre et in regione refrigerata Psoriasis pariter invenitur.

Quod ad alias, quae Psoriasin excitare dicuntur, causas attinet, Canstatt: „Kummer, inquit, Sorgen, Einwirkung von feuchter Kälte, mangelhafte, schlechte oder sehr reizende, stark gesalzene Nahrung, Missbrauch der Spirituosen, Störungen der Verdauungswege werden so gut für diese, wie für andere Hautkrankheiten als excitirende Schädlichkeiten genannt.“ *) Hebra haec prorsus negat. Eodem modo credere non possumus, masturbatione Psoriasin oriri.

Ill. de Baerensprung quidem haud verisimile esse putat, ut acritudinibus quibusdam nec non fermentis sanguinis quum exanthemata tum Psoriasis procreari possit. „Man denke zum Beispiel, inquit, an den bekannten makulösen Ausschlag, der auf den Gebrauch des Balsamus Copaivae häufig folgt: es kann kaum zweifelhaft sein, dass er durch irgend einen Bestandtheil dieses Medicaments erzeugt wird, der vom Blute aus reizend auf die Haut einwirkt, und da dieser an vielen

*) Canstatt, Handbuch der med. Klinik II. Aufl. Band IV, Abtheil. III.

Punkten gleichzeitig in die Haut gelangt, so wird an jedem dieser Punkte ein kleiner Entzündungsheerd entstehen müssen. Bei Scharlach, Masern, Pocken, bei Syphilis, Psoriasis etc. einer gleich mechanichen Anschauung Raum zu geben, ist allerdings gewagt; aber keineswegs widersinnig, wenn man nur nicht gerade an reizende Stoffe, sondern vielmehr an Fermente im Blute denkt. Die Art und Weise, wie sich die einzelnen exanthematischen Entzündungsheerde räumlich auszubreiten pflegen, unterstützt die Vermuthung eines derartigen Vorganges: indem sie sich im Umfange koncentrisch erweitern und später von der Mitte her heilen, nehmen sie die Form von Kreisen und dann von Ringen an, die sich mehr und mehr ausdehnen, bald in einzelne Segmente auflösen, bald zu geschlängelten oder Rosettenartigen Figuren zusammenfliessen. Bei der Psoriasis sind diese Formwandlungen am bekanntesten und durch alle Uebergänge von der Psoriasis guttata zur Psoriasis annulata und zur Psoriasis gyrata zu verfolgen.“ *)

Dubium et incertum est, utrum illud pecudum exanthema, quod nos „Räude“ dicimus, in homines translatum, Psoriasin procreare possit. Ita Epple observavit exanthema quasi psoriaticum in pecuarii cujusdam ore et in brachiis et in ancillae pecuariae fronte, quibus admodum curae fuerat vacca affecta sicco et squamoso exanthemate. **) His et aliis observationibus non

*) Die Hautkrankheiten von Prof. Dr. F. v. Baerensprung. Erlangen 1859. Erste Lieferung, S. 79 squ.

**) Schmidt's Jahrbücher. Band 97. Jahrgang 1858. Nr. 2. Seite 238 squ.

plane apparet, utrum hoc pecudis exanthema in hominum translatum Psoriasin aut Eczema aut Herpetem efficere possit.

Psoriasin etiam symptoma syphilidis secundariae esse posse, jam supra commemoravimus.

Diagnosis.

Psoriasis confundi potest Eczemate chronico. Attamen Eczema vesiculis oritur, nec squamae tam candidae, siccae, albicantes sunt quam in Psoriasi, sed flavescentes et humidae et superficies plerumque tota fere vel compluribus locis humida est; plerumque praeterea novae apparent vesiculae.

Eodem modo Psoriasin confundere possumus Lichene exsudativo rubro, qui multa habet cum Psoriasi similia. Tamen non facile haec exanthemata confundi possunt, quia rarissime Lichen exsudativus ruber et Hebra septies tantum illum observavit. Hebra ipse ad hasce animum attendere commendat differentias:

Psoriasis.	Lichen exsud. ruber.
1. Kleine Schuppenhäufchen.	Kleine Hirsekorngrosse Knötchen, roth und auf der Spitze ein Schüppchen.
2. Die Schuppen sind leicht abzukratzen und es bleibt ein rother Fleck.	Das Schüppchen sitzt ziemlich fest, kratzt man es ab, so bleibt ein rothes Knötchen.

3. Ausbreitung der Flecke in die Peripherie.	Ausbreitung der Knötchengruppen durch Auftreten neuer Knötchen in den früher gesunden Zwischenräumen.
4. Die Schuppenlage ist dick, silberglänzend, beim Kratzen entsteht leicht Blutung.	Dünne Schuppen, mehr gelblich, nicht so saturirt gefärbt; nicht so leicht Blutung beim Kratzen.
5. Bei robusten Menschen. Die freien Hautstellen haben den gewöhnlichen Tonus.	Bei cachectischen Individuen. Die freien Hautstellen sind schlaff, runzlich und fahl.
6. Wechsel der Form und der Localisation des Ausschlages.	Die ergriffene Stelle bleibt krank. Der Ausschlag behält dieselbe Form und greift langsam um sich. Die Kranken gehen meist marastisch zu Grunde.

Prognosis.

Psoriaris pertinaciter omnibus fere adhibitis remediis resistit et eo magis, quo latius se supra corpus extendit exanthema et quo diutius permansit. Interdum per complures menses evanuisse videtur, mox autem denuo erumpit et permanet. Ita haud raro observare

possumus, mitiores Psoriasis formas auctumno et hieme paullatim evanescere, ita ut epidermis ad integrum statum restituatur, vere tamen et aestate exanthema denuo apparere solet. Si minus Psoriasis corpus occupat, et nondum inveteravit, sua sponte nec ullis medicamentis adhibitis sanatur, tamen semper recurrit. Quod si strenue impigreque exanthema impugnamus et nihil inexpertum omisimus, prorsus quidem sanari potest, tamen praeter omnem spem denuo erumpit, parvo temporis spatio intermisso, ut etiam optime Hebra dicit: „Von 12 Uhr bis Mittag bleibt die Psoriasis aus."

Veiel vidit apud ducentos quinquaginta quos curaverat aegrotos, Psoriasin redire, neque causam cognovit.

Sed prognoseos interest multum, num magnae inveteratae maculae aut novae recentes reperiantur. Si prius locum habet, prognosis est faustior, quum affectio haud perbrevi reiteretur. Si autem ante curationem aut in curatione ipsa novae videntur recentes maculae, quae demonstrant exanthema redire, non sperare possumus, id radicitus sanari.

Sanatio ipsa hoc modo procedit: squamae sensim tenuescunt, rosio et turgor baseos cutis evanescunt de centro, cutis mollescit ita ut elevari possit. Postquam per breve tempus squamae nonnullae apparent, deinde sensim cutis in integrum statum redit.

Therapia.

Quum causae Psoriasis usque adhuc in obscuro versentur, exspectare debemus, therapiam id potissimum spectare, ut auxilium pro tempore praebeat, quum plena sanatio modo rarissime fiat. Quam ad rem medici aut modo localem aut modo internam curationem adhibuerunt, aut ambos composuerunt.

I. Therapia localis.

Quae quidem his conditionibus satisfacere debet, primum ut squamas removeat, deinde ut recentem congestivum aut inflammatorium statum excitet, quo inveterata exsudata celeriori mutatione materiae resorbeantur. In quorum remediorum numero numeranda sunt:

a. Balnea. Quae sola adhibita nil juvant, sed alias curationes adjuvant, quum epidermida macerent ejusque desquamationem accelerent et hyperaemiam cutis excitent. Id efficere dicuntur thermae Wildbad, Leuk (Loèche) in pago Valesia, Gastein, Pfeffers (Pfaevers) etc. Commendari possunt thermae in alveis calida aqua paratae, sed gelida balnea nil juvant.

Balnea salinica et salsa, quae multi commendant, Hebra plane reprobat, quia artificiosum Eczema excitant, quod hoc in loco in Psoriasin mutatur. — Si Psoriasis modo parva est, saepe fomentationes Priessnitzianae utiles sunt.

Optime autem juvat conjunctio thermarum cum frictione saponis kalini adhibita, quod Pfeuffer et Hebra primi fecerunt. Pfeuffer usus est hoc sapone:

Rp.

Liquor. caust. saturati ℥ij.

Adip. ceti ℥IV.

m. f. sapo.

Hebra adhibet hos tres sapones kalinos:

1. ℥j Liqu. Kali caust. ad ℥ij Adip. suill.
2. ℥ß Liqu. Kali caust. ad ℥ij Adip. suill.
3. ʒij Liqu. Kali caust. ad ℥ij Adip. suill.

atque methodus ejus haec est: aegrotus nonnullis utitur balneis calidis, in lecto deinde se continet, mane et vesperi in locis aegrotis fricatur sapone, qui tamen lavando postea non removetur. Postquam est fricatus, calidis tegumentis involvitur. Id etiam assequi possumus, si sapo illinitur pannis lanosis (Flanelllappen), qui deinde ut fomenta adhibentur. — Si conditiones vitae aegroto non permittunt, ut lecto se continere possit, mane et vesperi per quartam partem horae usque ad dimidiam fricatur et statim lavatur. Extensio et siccitas cutis, quae mox oriuntur, hanc curandi rationem reddunt dolorosam. Haec curatio post nonnullos dies totam epidermida abjicit, plerumque jam ante diem sextum. Extensio epidermidis amplius tolerari non potest, itaque frictionibus non porro utimur, atque pro illis gelidae adhibentur fomentationes nec non balnea frigida. Quibus rebus adhibitis si Psoriasis non plane est remota, frictiones denuo iterantur per sex dies. Si rosiones remanent, quod plerumque accidit, in illis curandis unguentum aliquid picis adhibetur.

b. Pix. Praeclarissimum illud remedium chronicorum exanthematum, imprimis Psoriaseos, jam antecedente saeculo adhibitum est, postea autem in oblivionem venit usque ad id tempus, quo Veiel, fere ante annos quattuordecim, denuo illo usus est. Veiel et Hebra, qui fere picem solam adhibent, eximia effecerunt. Usitatissimae species picis sunt:

1. Resina empyreumatica liquida fagi s. Oleum fagi (Buchentheer). Haec species secundum pharmacopoeam Austriacam est officinalis, quare ab Hebra praecipue adhibetur.

2. Resina empyreumat. liquid. pini s. Oleum pini s. Pix liquida (Fichtentheer) praecipue a Veiel commendatur.

Picem, ut antea factum est et etiamnunc saepius fit, meram illinere, non usui est, quum propter munditiem, tum propter dolores nimios, quos haec sanandi ratio excitat, deinde etiam, quum sapones picis et unguenta idem efficiant illaque incommoda non parent. Veiel tria unguenta picis utenda statuit varii gradus: etenim vero pix et adeps ita inter se comparantur, ut ratio sit unius ad duas, unius ad tres, unius ad quattuor partes. Proficiscitur in curando aegroto a leniori ad vehementius unguentum procedens.

Hebrae probatae sunt imprimis hae formulae:

Rp.

Olei fagi l. Picis liqu.

Sapon. virid.

Sebi ovilli.
Cerae flavae aa ℥j.
m. f. unguentum.

nec non

Rp.
Olei fagi l. olei Cadini.
Sapon. virid. aa ℥j.
Alcohol. rectificati ℥ij (℥j).
m. f. sapo.

Quarum altera formularum eam habet virtutem, ut facilius abluatur. Tempore vespertino portionem cum aqua teras ut spumet, spumam consumendam prospicias, mane aqua tepida deluas.

3. Oleum Juniperi oxycedri empyreumaticum s. Oleum Juniperi (Wachholdertheer). Hoc Hebra uti solet et mero et unguento, ut:

Rp.
Olei Cadini.
Adip. suill. aa ℥ß.
Kali caust. ʒij (ʒj)
m. f. unguentum.

Neque hoc loco silentio praetermittere possum saponem, cui nomen est „Kadin-Seife", et quem fabricantur Magdeburgenses Kluge et Comp., cujus praestantiam ipse expertus sum.

4. Oleum Betulae empyreumat. s. Oleum Rusci betulini (Birkentheer) admodum irritantem habet vim et praecipue in cute torpida adhibendum est. Veiel vis

ejus medendi Psoriasin circumscriptam imprimis praedicat.

5. Naphthalinum praecipue ab Emery adhibitum et instanter commendatum est, quia illud, quum candidum sit, non sordescat, praeterea picis habeat naturam. Utitur ʒj Naphthalin. ad ʒij Adip. suill. De Naphthalino Veiel „Naphthalin, inquit, hat nicht die entzündungswidrigen Eigenschaften wie der Theer, hat allerdings eine weisse Farbe, schmutzt auch nicht, hat aber dafür einen abscheulichen penetrirenden Geruch."

Hebra feliciter conjungit sapones kalinos cum pice et hanc fere sequitur methodum: aegrotus, postquam saepius ad flammam sudavit, quotidie aut alternis diebus in balneo calido sapone kalino vel sapone viridi circumfricatus tergitur et unguento picis oblinitur. Proximo die haec ratio reiteratur et tam diu continuatur, donec cutis in statum integrum erit restituta.

c. Sanationem, quae per aliquod tempus fit, et prosperum eventum tantum opinatum efficit interdum Hydrargyrum. Usitatissima sunt:

1. Unguentum Hydrarg. ciner. Quotidie circa ʒβ infricatur iterum iterumque donec sanatio efficitur, quae tamen neutiquam est vera et perennis.

2. Unguent. Hydrarg. alb. (Ungt. Hydrarg. amidato-bichlor.) Hoc lene unguentum haud facile salivationem efficit et quotidie semel aut bis infricari potest, praesertim in Psoriasi circumscripta.

3. Unguent. protojodureti Hydrarg. (Ungt. Hydrarg. jodati flavi).

4. Ungt. Hydrarg. bijodati rubri (gr. X. Hydrarg. jod. rubr. ad ℥j Axung. porci). Quod unguentum vim habet vehementer rodentem et loco ejus adhibendum est lenius unguentum Bichatii:

Rp.

Jodi puri gr. VII.

Calomelanos gr. XIV.

leni igne liquef. admisc.

Ungt. simpl. ℥ij.

m. f. unguent. s. ad infricandum mane et vespera.

Hoc ruboris rosei unguentum per sex dies infricatur, dum aegrotus positus est in laneis tegumentis. Septimo die ille lavatur. Plerumque haec curandi methodus iteranda erat priusquam successit. Attamen non negligendus est status quidam inflammatorius, qui hac curandi ratione in cuti sana efficitur interdum; quem si animadvertimus, curatio intermittenda est.

5. Hydrargyr. bichlor. corros. s. Sublimat. Secundum Hebram: ʒj ad Alcohol. ℥ij. Haec solutio optima est in Psoriasi locali, praecipue si id agitur, ut aegrotum intra octo fere dies morbo liberare velimus. Methodus haec est: squamis aut balneo aut saponibus remotis, solutio Sublimati ter quotidie penicillo ex linteolis carptis facto (Charpiepinsel) ad loca Psoriatica applicatur. Quo facto dolores vehementes moventur, maculae statim excoriant et vesiculae exoriuntur. Tum cataplasmatibus frigidis factis, ut dolores mitigentur, haec therapia tam diu continuatur,

donec Psoriasis evanuit. Sed brevi tempore Psoriasis denuo apparere solet.

d. Oleum jecoris aselli Malmsten nobis commendavit. Aegrotus hoc infricatur et statim in laneis tegumentis involvitur. Hebra oleum saepius adhibuit, sed cessante curatione iterum Psoriasis aderat.

e. Startin commendat Glycerinam et hac utitur formula:

Rp.
Acid. nitr. dilut. ʒβ—j.
Bismuth. nitr. prcpt. ʒβ.
Tinct. Digitalis ʒj.
Glycerin. pur. ℥β—j.
Aqu. Rosar. ℥VIII.
m. d. s. ad ablutiones.

Wilkinson Sulphure ad infrictiones utitur;

Rp.
Sulph. depur.
Resin-Pini empyreum. liqu.
Axung. porci aa ℥j.
Liquor. Ammon. sulph. ℈j.
M. d. ad vitrum orificio amplo, epistom. bene clauso. s. ad infricandum.

f. Bromum chloratum Hebra frustra adhibuit, eodem modo solutionem Jodi ℥j ad Glycerin. ℥ij *)

*) Schmidt's Jahrbücher. Bd. 98. Jahrgang 1858. No. 5. Seite 265.

Sed satis, vertimur ad

II. Remedia interna.

Plurima medicamenta, quae constitutionem aegroti debilitant, etiam Psoriasin minuunt. Laxantia, qualiacunque sunt, ut Decoct. Zittman, Aloe, Decoct. Pollini, Natr. sulph, aqua aeris particulas continens etc., tam diu vim habent, quam morbus curatur. Huc etiam pertinet usus Hydrargyri usque ad salivationem et fames. Quo in numero etiam numeranda sunt medicamenta herbis contritis composita Doctoris Le Roi alia quaelibet, de quibus adhuc apud nostrates magnus est impostorum rumor in litteris publicis pro specificis medicamentis exanthematum chronicorum venditatis, ut vulgi imperitia decipiatur. Quo unico mala illa medicamenta speciem prae se ferant, est quod remedia laxantia iis admixta sint, quae quum aegrotus diutius et magna vi devoraverit, sibi persuadere potest, in qualibet taberna medicina vendi Natrum sulphuricum multo vilioris pretii ejusdem vero facultatis. Dico, aegrotum per laxationem tribus vel etiam sex mensibus prolatatam in hebdomadis spatium sanari.

Major et melior est vis Arsenici. Praecipue adhibentur:

1. Liquor arsenici hydrojodati et Hydrarg. s. Solutio Donavani:

Rp.

Arsen. alb. gr. 39½
Mercurii vivi gr. 100
Jodi puri gr. 76¼.

terent. cum pauxillo Alcohol. rectificatis. usque ad siccitat.

cui adde

Aqu. dest. ℔.iij.

Acidi hydrojod. (parat. e Jodi gr. 32½ et Aquae dest. ℥IV)

Coquat. massa ad remanent. gr. i 300. Dosis hujus solutionis est gr. XV—XXX. Donavan hac utitur formula:

Rp.

Liquor. arsen. hydrojod. et Hydrarg ʒj

Aquae dest. ℥iij β

Syr. Zingib ℥β.

m. divid. in haustus IV. s. mane et vesperi portio.

Hebra hanc solutionem saepius haud prospero eventu adhibuit. Plerumque bene toleratur nec ulla relinquit intoxicationis symptomata.

2. Liquor arsenicalis Pearsonii s. Liquor Natri arsenicici. Dosis est gtts XV—XX. ter die.

3. Solutio arsenicalis Fowleri, Hebra sumi jubet solutionem quinque guttis ter per diem, singulis guttis quinto quoque die augens usque ad gtts. X die ter perceptas, degressus singulis diebus singulis guttis

Emery hanc solutionem habet optimum medicamentum Psoriaseos, sumi jussit usque ad gtts. X per diem, eodem tempore unguentum una parte picis et duabus partibus adipis commixtum adhibens.

4. Pilulae Asiaticae:

Rp.

Acidi arsenicosi gr. 66.
Piper. nigr. pulverat. ℥ iX
Aquae dest.
Gi Tragacanth. aa q. s.
m. ut f. pilul. Nr. 800 consp. s. per diem pilul. i—3.

Quibus octingentis pilulis sumptis Psoriasis prorsus evanuisse dicitur.

Hebra ex iis, quae ipse experientia doctus est, de medicamentis arsenicosis judicat: „Arsenic schützt auch nicht vor Recidiven und hinterlässt auf der Haut an den Stellen, wo die Psoriasis-plaques sassen, schwer vertilgbare braune Flecke, während bei der rein örtlichen Behandlung die normale Hautfarbe zurückkehrt."

Tinct. Cantharid. ter in diem gtts VI—XX pro dosi, augens. Hebra, qui etiam adhibuit hoc remedium, nullum prorsus vidit effectum, sed tamen vidit diutius medicamento adhibito oriri albuminuriam et haematuriam.

Sunt etiam qui aquae piceae favent (Arnheimer, Mérat, alii). Dissolvitur libra picis una modio aquae communis, ut quattuor viginti horis servata filtretur. Quae filtrata sunt, jejuno aegroto mane uno vel duobus poculis dantur. Usus medicaminis initio taedium aliquod habet, verum tamen aegrotus mox ejus consuetudinem habet. Nostris temporibus aquae piceae nec nonpilularum picearum rarior usus.

Pro obsoletis sunt Daphne Mezereum, Dulcam., Ol. Terebinth., Graphita alia. Commendanda est haec Psoriasin curandi methodus:

Aegrotus balneo tepidae aquae vel etiam sudatorio curetur, porro spuamarum sapone removendarum cura habeatur; postremo unguentum vel sapo piceus usque ad refectionem consummatam adhibeatur; huc etiam Sublimatum referri potest.

Medicamentum internum sit Arsenicum, qualis est solutio arsenicalis Fowleri, in qua danda maxima diligentia consilioque utendum est; nec nisi aegrotis probatae prudentiae major medicaminis copia permittenda. Usui foret, solutionem Infuso Melissae aut Calami commiscendam, qua ratione ventriculi membrana mucosa Arsenici vi defendatur. Ubi nihilominus, quae dicuntur symptomata intoxicationis Arsenici cernuntur, ut oedema palpebrarum aut manuum, gastralgia, nausea, alia, fiat remissio.

Consummata sanatione haudquaquam abs re videtur esse, reconvalescentem semel per hebdomadem medico praesentem fieri, ut recidivis apparentibus, confestim aut unguent Hydrarg. alb. aut Sublimato aut Kal. caust. remotio fiat.

Eadem est therapia Psoriaseos syphiliticae atque syphilidis.

VITA.

Natus sum ego Rudolphus Amandus Raddatz, confessioni evangelicae addictus, Calliesiae, oppido Pomeraniae, die XVII mens. Aprilis anni XXXV h. s., patre Augusto Ernesto Raddatz, matre Emilia e gente Gebauer, quos superstites adhuc veneror. Primis litterarum in schola publica imbutus gymnasium adii Neosedinense, quod directore doctissimo Roeder tunc florebat. Maturitatis testimonio in gymnasio Gryphiswaldensi mens. April. anni h. s. LVII impetrato, vere ejusdem anni almam litterarum Gryphiam petii et ab ill. Schoemann t. t. rectore magnifico inter cives academicos receptus, ab ill. Haeser, gratiosi medicorum ordinis t. t. decano spectatissimo, medicinae studiosorum numero adscriptus sum.

Per sex semestria hasce praelectiones audivi: Ill. Baier: de logice. Beat. Schildener: de psychologia. Ill. Huenefeld: de chemia theoretico-practica anorganica; de chemia organica et analytica; de mineralogia; de geologia; examinatorium chemicum et mineralogic. Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali. Ill. Muenter: de zoologia tam generali quam speciali; de botanice physiologica et systematica; de botanice med. et pharmacol; de mykologia. Ill. Schultze: de osteologia et chondrologia; de syndesmologia; de neurologia et angiologia corporis hu-

mani; de anatomia comparat. Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia et splanchnologia; de anatomia organum sensuum, cerebri et medullae; de physiologia speciali; de embryologia; de anatomia microscopica; in theatro anatomico dux mihi fuit. Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia medicinae; de semiotice et diagnostice generali; de pathologia et therapia generali; de pathologia et therapia morborum epidemicorum; de historia medicinae. Ill. Bardeleben: de chirurgia tam generali quam speciali; de akiurgia; de ophthalmiatrice; de morbis chirurgicis capitis; de fracturis et luxationibus. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis. Cel. Laurer: de materia medica et generali et speciali. Cel. Grohé: de anatomia pathologica. Exp. Bengelsdorff: de diaetetice; de arte formulas medicas conscribendi. Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali; de morbis cerebri. Cel. Eichstedt: de arte obstetricia; de operationibus obstetriciis in phantomate instituendis. Exp. Ziemssen: de morbis cutis; de morbis infantum; de exercitationibus practicis in diagnostice physicali. Ibidemque hisce interfui clinicis: Chirurgico-ophthalmiatricis: ill Bardeleben. Medicis et psychiatricis: ill. Niemeyer.

Deinde vere anni h. s. LX Halas Saxonum me contuli, ubi ill. Erdmann, universitatis Fridericianae Halensis cum Vitebergensi consociatae t. t. rector magnificus numero civium academicorum et ill. Blasius t. t. gratiosi medicorum ordinis decanus spectassimus ordini medicorum me adscripserunt. Per duo semestria disserentem audivi Ill. Blasius: de chirurgia speciali vulnerum; de fracturis

et luxationibus; de fasciis rite applicandis. Clinicis interfui: chirurgico-ophthalmiatricis: ill. Blasius. Medicis: ill Vogel. Obstetriciis: ill. Hohl.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, gratias ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentamine tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Anceps remedium melius nullo.

II.

Urina albuminosa haud certum morbi Brightii signum.

III.

Potatorum frequentissimus morbus est cirrhosis hepatis.

IV.

In hydroceles cura incisio ommibus aliis operationibus antecedit.

V.

Foetum viventem perforare non licet.